



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXXV. De Destructione castri Brandenburg.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ordinii Teut.
Ludovicus de Baldersheim VII. Mag. Prov. in Prussia.

CAP. CXXV.

De

De destructione castri Brandenburg.

FRater Fridericus de Holdenstete
Commendator de Brandenburg,
cum Fratribus & armigeris suis pro-
fectus fuit ad territorium Nattangia,
quod dicitur Solidovv, circa castrum
Cruceburg, per incendium & rapi-
nam occisis & captis plurimis deva-
stavit. Inreditu occurrit ei nuncius,
qui dixit, quod castrum Brandenburg
esset destructum per hunc modum.
Quaedam mulier Pruthena similis
conditionis, filia Belial, recessit de
dicto castro, Glapponi Capitano
Warmiensium Fratrum absentiam
recitavit, qui cum multis armigeris
veniens ipsum expugnavit. Quo au-
dito Commendator turbatus ivit
cum suis versus Kunigsberg & rever-
sus navigio Brandenburg, fratres &
aliquos de familia sua, qui se in turri
lignea dicti castri defenderunt ab im-
petu & impugnatione Pruthenorum
salvos secum duxit.

Anno Domini MCCLXX. VIII.
Calend. Septembr. Ludovicus Rex
Francia cum duobus filiis suis &
multis Principibus iter assump-
psit pro recuperatione terra San-
cta: sed ipse cum uno filio & mul-
tis aliis in via moriebatur. Hic
Christianissimus Rex post mul-
tas orationes hanc intulit: In-
troibo in domum tuam, adorabo
ad templum Sanctum tuum &
confitebor nomen tuum. Et hoc
dicto in Domino obdormiuit. Al-
lia pars exercitus processit &
cum ad eos Karolus Rex Cecilia
cum suis veniret gaesit sunt, &
in tantum angustia verunt Solda-
num & suos quoad oportuit, eos
inire pacem sub his pactis, quod
ipse Soldanus omnes Christianos
captivos redderet & quoad Eccle-
sias Dei constructis in omnibus
civitatibus regni sui admitteret,
ut fides Christi predicaretur in to-
to regno suo, & qui vellent bap-
tizari baptizarentur, & quod ipse
fieret tributarius Christianus. Hoc
facto venit Edoardus Rex Anglia
cum multitudine Frisonum &
peregrinorum & computabantur
in toto exercitu CC. millia pugna-
torum & Sperabant Christiani

quoad non solum terram Sanctam sed & terram Sarracenorum sibi deberent sub-
jugare, sed exigentibus peccatis totus exercitus Christianorum est dispersus, ita,
quod ne illo nulla alia utilitas est sequuta, quia Papa, Patriarcha, Legatus, Rex
Nasarra, sunt defuncti.

CAP.